









96/15 R

Bint. 392

Binn. wünsch
Düss. 1016 Silk

137A 163 01

Theology 1
LEX NATURAE
PER
MOSEN DESCRIPTA,
QUOAD
SELECTIONA SUCCINCTE
ILLUSTRATA,
CONTRA
BIBLIOMACHOS:
CUM
VINDICIIS
POTIORUM DOGMATUM,
QUAE NEGANT
SOCINIANI.

SUB PRAESIDIO
P. SERAPHINI HIPPLER,
S. SCRIPT. LECT., IN ADOLPHIANA UNIVERSI-
TATE PROFESSORIS P. O.

PUBLICAE ERUDITORUM
DISQUISITIONI SISTET ET RESPONDEBIT,
P. ANGELUS KALB,
IN CONVENTU MARIANO PROPE FULDAM ORD. FF. MIN.
STRICT. OBS. RECOLL. PROV. THURINGIAE S. ELISABETH,
SS. SCRIPTURAE AUDITOR.

ANNO MDCCLXXX DIE

F U L D A E,
typis J. J. Stahel, Typographi & Bibliopolae Aulae &
Universitatis.

Quid magis paradoxum, audax & hoc aevo periculofam, quam ille protervus incredulorum conatus, quo levissimis de causis Pentateuchum ab auctoritatis pristinae gradu, post diuturnam ultra 3000 annorum possessionem disturbare, divina hæc scripta, religionis nostrae quaepiam fundamenta convellere, & sanis sibilisque improbis adnituntur explodere, quorum tamen authenticam foederis utriusque paginae, Christi & Apostolorum testimonia, unanimis Judaeorum, Samaritarum, Christianorum, atque nationum aliarum consensus, traditio, vetustas, praescriptio, continua priscorum documenta, antiquissimæ translationes evincunt. Si quis tam inficeta scepsi profanorum & gentilium volumina lacefferet, & ea suis tantum scriptoribus abnegaret, quam acerbis perstringeretur dicteriis adeo intemperantis epicriseos parens! & merito, nam *Platonis, Aristotelis, Ciceronis, Varronis, aliorumque ejusmodi authorum libros unde noverunt homines, quod ipsorum sint, nisi eadem temporum sibimet succedentium contestatione continua? August. lib. 33. C. 6. contra Faustum Manich. edit. Antv.* Quid nunc censendum de praesentibus hodie *Marcionibus, Hobbesis, Spinosis, Socinis* qui jaculis omnibus Mosaicis & postea *N. T.* scripturis machinantur perniciem; quae tamen omnibus authenticæ in & extrinsecæ notis inclarescunt.

Historiae summum veritatis, nullibi partium studium, nullum antilogiæ, nisi apparentis vestigium prae se ferunt. Eadem sermonis sinceritate & diffusione, quae vel in proprium dedecus, vel laudem vergunt, candide recensentur. Omnes hic sunt egregii historici dotes, quas in aliis frustra requiras: nullae sunt alibi, quas hic desideres. Et quomodo contingere potuerit, ut unus vel plures (pauci tamen) & omnes, & tam diu, & in hac maximi momenti re & scriptura fallerent? Quis unquam Apio, Julianus, Celsus, Porphyrius fidem Pentateuchi vel vacillare tantum

tum, probavit? Abfuerit Moses a rerum gestarum, quas exarat, tempore multas annorum periodos, annon eas rescire potuit (remota licet inspiratione, & seclusa his super notitiis divina providentia) sola magistra paradisi? nam *Moses Amram* filius annis 8 & 40 post obitum *Levi* aspexit lucem: *Levi* cum *Isaac* vixit annos 40: *Isaac* cum *Abraham* 85. & cum *Sem* 50. *Sem* annis 8 & 90. ante diluvium extitit, *Lamechum* ergo vidit & *Mathusalem*, & hic uterque primum hominem, a quo illos hæc omnia edoctos esse, quis ambigat? Adhæc de transcriptis & varii generis monumentis ne minime dubitamus; nam præter artem, verba polito saxo, lateri, plumbo, aut ligno incidendi, aliquam scribendi notionem similem nostræ ævum Mosaicum præcessisse, eruditi probant. Sub *Josua Conf. 15.* קִרְיַת סֵפֶר *Civitas literarum* jam apud Cananaeos floruit. Et nunquid Bibliomachi *Sanchoniathonem* ante *Mosen* jam scripsisse jactant? & cum postea unicus & politiae & religionis codex fuerit Pentateuchus, non potuit in exiliis & excidiis sine utriusque status interitu disperdi, sicut volunt ex lib. 4. *Esdrae* apocrypho.

Dogmata fidei sunt excellentia, sublimia, nunquam rationi adversa, & ea profecto sunt, quæ nulla, utut fecunda humani ingenii vis ac perspicacia in Graecia aut Latio unquam parturiit, ita quidem, ut sufficiens illorum ratio in sola revelatione sit disquirenda.

Dogmata morum a sanctitate, justitia, & prudentia mirifice temperantur ac commendantur, & quis in suspensionem adducat, scriptori etiam has virtutes cordi fuisse? is vero virtutum amor qui cum fraude & mendacio perstabit?

Prophetia (Sacrae historiae partes) sunt veraces, exacte omnes impletæ, quarum eventum veritatemque solum inficiatur, qui culpa propria ad solem caligat: Perpendantur oracula *Gen. 9. de Canaan. Gen. 49. de Ru-*

=====

*Ruben, Simeone & Levi. Num, 24. de regno Saul
propter Agag auferendo.*

Stylus simplex est, clarus & brevis, ea tantum, quae necessaria sunt, referens, Conf. Gen. 1. 2. 3. hanc tamen sublimitatem Longinus Gentilis admiratus est. Et quanta antiquitatis ac sinceritatis prodat signa, norunt, qui alios pariter lucubrant libros ac veteres scriptores. Fatemur, in Mosaicis narrationibus plura non nunquam extra locum suum & temporum seriem diffusa esse, sed haec ipsa integrae fidei opus & scriptorem denotant, qui certissima, comperta & explorata narrans, non eam in conscribendis rebus sedulitatem collocat & seriem, non vanos lepores & flosculos aspergit, velut auctor quidquam aliud, quam Religio- nis, veritatis & virtutis studium animo versans.

Libri Dogmatici loquuntur dilucide divinam unitatem, omnipotentiam, providentiam clementiam, Justitiam, adventum Messiae Soteris nostri,. At vero Deum esse triunum, Salvatorem Deum hominem, in cruce perpeffurum esse, spiritualis tantum regni conditorem subobscure & per typos denuntiant. Haec enim cum latio- rum luminis divini copia, subito ac simul illapsa imbecilles mundi adolescentis laesisset oculos, nec rudis Hebraeorum iutellectus tam veritates subli- mes rite percepisset, quare facili sensim, & plana se- mita ad capienda difficiliora suo tempore mysteria oportuit hunc populum dirigere ac perducere.



CAPUT I.
LEX NATURAE.

§. I.

Deus coelo & terra primum creatis & Protoplastos Adam & Evam condidit ☩, atque in Eden collocavit; cum vero persuadente diabolo, ex arbore vetita decerpissent fructum, e loco voluptatis expulsi, variis aerumnis, morteque ipsa multati sunt. א

Cre-
tio uni-
versi
Gen.
1. Pro-
topa-
rentes
in Pa-
radiso
2. Eo-
rum
lapsus
& poe-
na. 30

☩ *Moses* scripsit, quo tempore recta divini Numinis cognitio, praeter Judaeos, gentes caeteras tantum non latebat. Judaeorum complures rudes erant ac indociles, proclivi semper ingenio in idolomaniam & vitia cuncta proruentes, ex diuturna in regione corruptissima consuetudine, in durissima servitute patriae Religionis fere obliti. Horum animos ad Legem mox recipiendam scripta *Genesis* prae-
parat. Cananaeis, Aegyptiis, Phaenicibus &c. astra, elementa, iisque longe viliora colentibus stultitiam de mundo aeterno & fatuo facto eximit, ideam unius Dei, & universi hujus conditoris edocet, divinam omnipotentiam & providentiam celebrat, quo scopo nihil aptius fuit, nihilque potentius, erigendis fervilibus Israelitarum animis, formandis moribus, iisque in fide divina & Legis obsequio corroborandis. — Male carpuntur verba *Gen. 1, 1.* ; ברא אלהים quasi *hoc loc.* idea ex *Phaenicum Theogonia* hausta delitesceret, ad *Hebraeos* perlata. Recurrunt hi ignari
he-

hebraeae linguae scioli, qui tamen fuggillant omnia, ad fragmentum *Sanchoniathonis*. Sed hoc sublestae fidei foetus est, aetate Mosis longe recentior. Neque Graeci *Phaenicum* domitores, neque *Justinus M.*, *Tatianus* & *Origenes* ullam *Sanchoniathonis* mentionem ingerunt. Post *Porphyrium* solus est *Eusebius*, qui illum allegat *Praepar. Evang. Lib. 1. C. 7. edit. Basil.*, sed ex ea versione, quam *Philo Byblius* adornavit. Ille codex nomina *V. T.* e. g. *Tyri CC.* ante *Salomonem* annis exstructae, *Berith*, *Dagon*, *Elion*, *Israel*, *Elohim* perperam applicat. Imo *Aeon* & *natu major* ibidem occurrunt, ex quo *Sanchoniathoni Valentinianos* jam innotuisse perspicitur. Periti arbitri censent, *Philonem* Libri non interpretem, sed auctorem esse, nam Christianorum scripturis invidiam conflandi libido palam apparet, utpote quae doctrinam haud ferat e coelo, sed *V. Testamento* & ex *Phaenicia*: tam magnifice *Byblon* Phaeniciae civitatem, patriam suam, extollit. *Suidas*, qui solus inter veteres *Sanchoniathonis* determinat aetatem, *Mose* longe posteriorem illum esse tradit: & certe *Hebraei* in *Palaestinam* appulsi, *Patriarcharum* traditione adhuc & lingua adjuti, nullum Religionis systema ab hostibus *Aegyptiis*, *Cananaeis*, *Phaenicibus* commodarunt: *Mosaica* ubique scriptura unicum Deum *O. M.* adorandum exhibet & mandat. *Sanchoniathon* autem suadet *Idolatriam*.

Adam vere generis nostri totius (non *Judaeorum* tantum) est *Genearcha*; non *typice* per oppositionem ad *secundum Adam*. Hanc aliquando veritatem impugnavit *Praeadamitarum* systematis an. 1655. non Auctor, sed restaurator *Isaac Peyrerius*, Gallus, *Calvinista*,

sta, Medicus, qui ex hac hypothese Mosaicae scripturae & Josue antiquitatem adoriri, & mox totam *V. T.* historiam ceu turbatam & repugnantem rhapsodiam traducere ausus est. Ille vero coram *Alexandro VII.* hoc systema cum doctrina sua poenitens 1657. ejuravit, de sincero tamen ejus animo non pauci dubitant. Postea principia ejus ex *Gen. 1, 27. & 2, 20. Rom. 5, 14. Genealogia Cain & Abel*, hominumque inter se quoad colores & Symmetriam dissimilitudine accepta, avide repetierunt, qui *Coadamitas* statuunt. Gravioris ponderis argumenta jaectant prodire sibi ex chronologia & historia *Aegyptiorum, Chaldaeorum, Graecorum, ex Manethonis dynastiis &c.* qui plura annorum millia ante Adam percensent, sed hac ipsa de causa vani thraones sunt hi scriptores, & suspectae fidei discrimen subeunt, nam Mosaica vetustate multo inferiores, ea scripsere aetate, qua nationes de antiquitatis inter se gloria jam decertarunt, & cum hac vanitate praecellere quaevis studeret, fabulosa semper annorum incrementa subjecerunt. Sique haec priscorum traditio etiam vera sit, An *Mosen* omni Aegyptiorum sapientia eruditum latuit? Si eandem vero noverit, cur perscripsit ea, quae a vicinis illico prospexit refutanda? Praeterea hae observationes nimis inter se ob immanes hiatus & lacunas dissident, ab ipsis profanis, *Cicerone, Plutarcho, Diodoro Siculo* confutantur, & non anni solares, sed menses, & breviora alia temporis spatia reputantur, quinimo regno mythico dignae ad fabulas profligantur. Id praeclaris argumentis ostendit *M. August. Lib. de Civ. Dei C. 10. edit. Antv.* — *Sinensium* historiae tot Voltairianis mendaciis haud ita pridem depictae, & sic insigniter laudatae fidem nullam esse ha.

habendam, nisi forsam periodis ab annis 400 ante Christum natum, probat Cl. *Episcopus Eleuteropolitanus*, linguae, morum, historiaeque Sinenfium, apud quos 25 annos versabatur, certe non ignarus. Commonstrat non pauca fabulosa illorum commenta, juxta ac astrologiae & calendarii perficiendi inscitiam. Pertenuem vetustatis notitiam alii ex eo probant, dum jubente Imperatore *Hoam Ti* an. 237. ante Christum, illorum codices, demtis medicis & juridicis, igne absunti sunt. Et si, malecredula eorum superstitio de multis annorum millibus regni *Tyen, Ti, Gin* ante diluuium consideretur, risu meretur explodi. Tandem Reges *Fobi, Schun, Ja, Hiao*, aliosque, quos a multis annis censent, reipsa *Adae & Noemi* esse posteros, diversis duntaxat patriae linguae nominibus vocatos, eruditi notant: qui nimii sunt in hujus nationis admiratione, legant *Biblioth. Orient. Assema. Tom. 3. p. 2. pag. nobis DVII.* & desinent praeconceptas opiniones. — In hoc regno *Naturae*, quia leges scriptae defuerunt, licet Deus saepe hominibus locutus, *Conf. Gen. 3. 4. 9.* triplex aetas perpenditur: *prima* a creato mundo ad diluuium usque protrahitur. *Secunda* ab hoc cataclysmo Noetico usque ad vocationem Abram produci- tur: *tertia* aetas hic incipit, & res usque ad Legem Mosaicam persequitur. Per totum vero decursum chronotaxin Cl. *Antonii Vitre edit. Venet.* respicimus.

²⁴ Seductio & lapsus ad allegoriae involucrum a Mose redactus esse, nullo fundamento dicitur, nam scopo & consilio S. historiographi scriptio- nis hujus insueto id palam offe- cisset. Et cur labem hanc primigeniam sca- tentem miseriarum omnium fontem voluisset ho-

hominem celare, abstruso & figurato dicendi genere, quod diu postea inolevit. Conf. *Euseb. Praep. Evang. Lib. 1. C. 6. edit. Basil.* — Qui divini timoris igniculum & reverentiam adhuc ullam erga Ss. Scripturas in mente sentit, execrabitur impressa folia: *Freye Gedanken uber die wahre Ursache, warum Adam und Eva das Paradies verlassen müssten: Mit vier Gesangen vom Raube der Proserpine, Gemablinn des Hoellen Gottes vermehrt: zwoyte Auflage Frankfurt und Leipzig: in fine impii & obscaeni metri impius & impurus Naso crocitat: und also zogen beide aus Edens grünen Thal, das war, glaubt es Ibr Leute, der ganze sünden fall. Ohe libelle! — Poenas homini intentatas Gen. 2. 17. de morte, serpenti de incessu &c. 3, 14. Evae v. 16. de doloribus partus, Adae de labore, de germine spinarum & tribulorum, de herbarum comestione v. 18, contra virulentos illuorum cavillos dum illustramus, recolimus dicta in *Anmerkungen über Bahrts Glaubensbekenntnis pag. nobis 38. woran stößt sich der Mensch nicht, wenn er sich einmal vorgesetzt hat, die wahrheiten der Religion zu verwerfen? der Unglaube, der freylich sehr ausgebreitet ist, hat gar mancherley Quellen, unter welchen dieses eine der vornehmsten ist, das dem Menschen die forderungen, welche die Religion an ihn thut, seine ihm so liebe sünden abzulegen, seine Luste und Leidenschaften zu bekämpfen, und s. f., nicht anstehen. Er mag der Religion nicht gehorchen, nun sucht er hintennach Gründe, sein Verfahren zu rechtfertigen.**

§. II. Misericors tamen & Misericors Dominus lapsis generis nostri sa-

10-

Prote.
vange.
lium
Gen.
3, Cain

Fratricida
4. Pec.
cata
homi.
num 6.
Dilu.
vium
7. & 8.

toribus Messiam statim promisit: 7
Quam vero eorum fuerit corrupta so-
boles, patet ex invidi Caini fratricidio
& Gestis Lamech. Homines postea in-
dies sceleratiores ⁊ diluvio ultor Deus
perdidit, solo cum familia sua erepto
Noacho. ⁊

7 Lapsi homines innocentia sua & felicitate
exuti, miserabiles erant, consilii inopes, sed
Deus *Satanam*, qui anguem egit, maledictio-
ne perculit, & denuo miseros illos erexit.
Mirum, quantis studiis oraculi hujus lucem
cripere *Tindal, Collins & J. L. Schmid Bibl.
Wertheim. Faber* laborent. Nullus hic pro-
fecto sermo fit de naturali ac perenni homi-
nes inter & serpentes inimicitia, nam con-
trarium de *Tiberio, Troglodytis*, circulatori-
bus historiae testantur & experientiae. Et non-
ne perinde ac vehementius noxia & atrocia
caetera animantia fugitamus & abhorremus?
cui vero bono atque solatio ejus generis ini-
micitia & poena? — solus *Jesus C.* est, in
quo vaticinium adimpletum est, ; Hic fuit
זרע האשה benedictae Virginis Matris fe-
men, qui הנהש *Draconem illum magnum,*
serpentem antiquum diabolum Apoc. 12, 9.
contrivit, Conf. *Heb. 2, 14. 15.* Imo זרעך
totam diabolicam catervam devicit. Equidem
Satan insidiatus est calcaneo Dei hominis, il-
ludque laesit, dum acerbissimam mortem in
salutis nostrae lytrum oppetiit, verum hac
passione sua & gloriosa anastasi tartara sube-
git, & Satanam tandem mittet *in stagnum ignis
ardentis sulphure Apoc. 19, 20.* Sunt, qui *Mosai-
cae* huic narrationi succensent, sed immerito ac
inscite, nam hagiographi non erant partes, ge-
sta

sta haec explicare, sed solum ea, prout oculis obversabantur, enarrare.

¶ C. 4, 7. Masoretæ haud parum a LXX differunt. Hi legunt: Οὐκ ἄν ορθῶς προσεγενήκησθε, ορθῶς δὲ μὴ διελησθε, ἡμαρτεσ: quibus autem motionibus hebraeum textum animarint, haud difficili opus est divinatione, ut quidam censent, sed semotis modernis punctis nullo negotio cernitur. *Vide misericordiam domini, quomodo furorem & insaniam Cain demulcere, & verbis his impetum auferre nititur. Quippe motus mentis illius videns & crudelem ac sanguinariam illius voluntatem sciens, nunc praemitigare ejus rationem vult, & serenitatem menti inducere: S. Chryf. Hom. 19. in C. 4. Gen. edit. Antv. dum S. Doctor subdit: subjiciendo ipsi fratrem, & potestatem ipsius nihil minuendo, singularem habet sententiam, ex qua tamen, sicut & hebraica Lectione libertas arbitrii confirmatur. VV. 13. & 23. needum probatur Cain desperasse, nec a Lamech trucidatum esse.*

¶ Equidem *Enosi* aetate coeptum est, invocare nomen *Jehova* ritu publico ac solenni, & inde factum est, ut posteri *Seth Filii Dei* vocati discernerentur ab iis, qui *Filii hominum*, verum postquam sanxere inter se connubia, universae corruptionis subnata est origo. Ex titerere diebus illis הנפילים *Nephilim* juxta multos *nebulones* & *apostatae a vera fide & Ecclesia*, viri robusti, vehementes atque saevi, quorum flagitia potissimam diluvii causam praebuere vindici Deo. Merito rejiciuntur veterum commenta, qui libro *Henoch* & *Ep. Judae* v. 16. sinistre intellectis decepti, *Nephilim* daemones fuisse putarunt, ex Angelorum perduellium cum filiabus hominum com-
mer.

mercio genitos. Vulgata reddit *Gigantes*, velut etiam vocabula *Rephaim*, *Enacim*, *Emim*, *Zuzim*, *Zomzomim* exprimit. — *Gigantes* autem vere extitisse Moses & sacri post ipsam scriptores, cum de illorum robore, procera magnitudine, expeditionibus, apud inferos supplicio meminere, probant. Testimonia ferunt vetustissima regionum monumenta, scriptores profani, constans populorum traditio, quam quidem historiam Poetae fabulis suis lepide exaggerarunt. Inter *Gigantes* nullus, de quibus Ss. literae nos erudiant, 12. pedibus altior fuisse existimatur, & hanc fere adaequare altitudinem dicuntur *Patagones* in terra *Magellanica* detecti, licet haud consentiant inter se relationes. Plura monumenta e. g. ossa, dentes, crura, quae exhibentur, in suspicionem veniunt: etiam dentem a *S. August.* in littore Vticensi visum, monstri animalis fuisse, verisimile est, siquidem ipse *S. D.* opinando loquatur *Conf. de Civit. Dei Lib. 15. C. 9. cit. edit.*

§ Diluvium Noeticum non Palaestinam solum, sed terram universam inundasse, S. scriptura aperte docet *Gen. 6, 7. & 17. 7, 18. 19. 20. 23* Haec verba *literae* in alium rapiunt sensum, qui praeconceptis capti opinionibus in novas & singulares pruriunt sententias, quibus adversari omnibus, gloriantur. Diluvii historiam *Hebraei*, *Graeci*, *Latini*, *Chaldaei*, *Medi*, *Assyrii*, *Americani* & *Sinarum* populi tenent; Gentiles quidem suas fabularum larvas illi obduxerunt. Probant illam sedes ac species conchyliorum, aliaque marinorum corporum vestigia in *America*, *Pensylvania*, *Virginia*, in montibus *Peruanis*, & *Chilensibus* reperiri solita. Cur deus arcam exstruendam iussit, & illuc omnes animantium species coegit, cum *Noe* minore sumtu, itinere bre-

brevis vitam cum suis potuisset redimere? Et
 qua vi retentae sunt aquae, ut intra Palaesti-
 nae angulum consisterent, & claustra tam an-
 gusta non percurrerent? Num ante diluuium
 jam Asiae plagis homines excefferint, sicut
 multi non abs re existimant, nec ne, parum
 refert; nam deus animantia cuncta hominis
 gratia condita exterminare & delere voluit,
 & *universa, quae in terra sunt, consumere,*
 remissis in terram aquis, quae jam initio crea-
 tionis, obtegebant universam. Necdum post
Isaac Vossium evincunt, implicare, spatium
 mundi universum aquis potuisse contegi in
 summis montibus ad 15. cubitorum altitudi-
 nem, & aquas vento imminui, conservatis
 sub unda plantis & arboribus. Cogitent, di-
 luuium particulare haud minoribus, quam
 universale difficultatibus implexum esse. Re-
 liqua de *corvo, columba, & folio olivae vi-
 ridi* (ubi non intercessit prodigium) expli-
 cabimus, divinae omnipotentiae, quae syste-
 matis nullis eget, & justitiae tremendum
 exemplum reverentes atque stupentes. Fini-
 ta illa depopulatione carniū esus licuit *Gen.*
9, 3. 4. & si hic loc. cum *Gen. 1, 29. 30*
 exigatur, plane sequitur, illum antea non fuisse
 permissum. Consentiant Ss. PP., vetus po-
 pulorum traditio & Poetarum idea de saeculi
 aurei, quod statim innocentiae dicimus,
 felicitate, ubi homines non carnibus, sed
 pomis & herbis, & quas sponte ferebat tel-
 lus, quae nullo exerceretur aratro, vesce-
 bantur, copia tamen illa limite quodam de-
 finita erat, ut scilicet a sanguine abstinerent:
 quod praeceptum, cum primitivum & natura-
 le haberetur, in Lege saepius repetitur, imo
Act. 15. 12. iterum decernitur eum in finem,
 ut Judaei & gentiles admodum diversi parie-
 tes in eandem compagem, *ipso summo angu-
 la-*

lari lapide Christo Jesu, facilius coalescerent, quod ubi contigerat, praecepti finis desit, sed cum Ss. Literae id non doceant, infallibilem earum interpretem Ecclesiam adimus, a qua praedictam comestionem Christiano non amplius esse vetitam, erudimur.

Turris
Babel
& Con-
fusio
Gen.
II. Ab.
ram
vocatio
foedus
& pro-
missio
12.

§. III. A sem, Cham & Japhet omnes populi orti sunt. ¶ Horum nati, antequam diversas peterent regiones, de celsa turri excitanda consilia inivere, quae deus confusis eorum labiis turbavit. Postea homines penitus Deum deseruerunt: ¶ In hac communi hominum perversitate Deus אברם ABRAM, postea ABRAHAM dictum ex Ur Chaldaeorum, qui idololatrae erant, vocavit, & foedus cum illo sanxit, ut eum in gentis sibi fidelis & peculiaris caput constitueret. ¶

¶ Aliquot annos a diluvio *Chamum* non propter incestum cum noverca, sicut quidam inepte sentiunt, sed impietatem contra parentem, inverecunde ex crapula cubantem, paterna feriit maledictio. Filios habuit *Chus*, *Mezraim*, *Phut* & *Canaan*, in quorum illa posteris eventum tulit, sicut benedictio vaticinica *Semo* & *Japhet* data, in Synagoga & Ecclesia Gentium. Utrumque vaticinium contra *Bolingbroke*, qui Noemum *virum justum & perfectum* infandum criminatur, vindicamus. Ex diris paternis Chamitarum nigredinem ortam esse, putida fabula est Talmude digna. Neque fundamento nititur, solos hos Babelicae turris fuisse conditores.

ט Singularis (etiam profanis usitatus) sermo
Gen. II, 4. הבה נבנה לנו עיר ומגדל וראשו בשמים:
Agite! aedificabimus nobis urbem & turrim, cujus vertex in coelo, non
 denotat, tam insolentis & stulti propositi hos
 fuisse architectos, ut turrim ad coelum us-
 que, ut delire jocatur Voltairus, excitarent,
 sed summis tantum montibus excelsiorem, &
 nubibus vicinam, non ex formidine incubitu-
 ri denuo cataclysmi, sicut censet *Josepb.*,
 nam turris unica quomodo terrigenas omnes
 excepisset? alioquin turrim locassent non in
 planitie *Senaar*, Euphraten inter & Tygrim
 vastissimos amnes, sed potius in altissimi mon-
 tis cacumine. Certe divino oraculo palam
 omnibus fuit, nunquam amplius orbem uni-
 versum ita obrutum iri. Illa mens injecta
 superbis hominibus fuit, ut nominis famam
 posteris transmitterent ante sui dispersionem,
 hoc molimine aliquamdiu impediendam. Urbs
 & turris plenum vanitatis & temeritatis opus
 ad comitia, ad sedem primariam diversae fa-
 miliae capitum, ad varia flagitia, & si diu-
 tius in coepto perstitissent, sexcentas deordi-
 nationes deservire potuit: Conf. verba נעשה
 לנו שם: Profanorum & Veterum testimonia
 Celsi, & aliorum ethnicorum Conf. *Orig. c.*
Cels. lib. 4. vanitatem refellunt, qui hanc
 historiam ad fabulosam Gigantomachiam de-
 primunt: Nec ad depellendas veterum &
 neotericorum calumnias necesse est, cum
Philone ad allegoricum sensum confugere,
 quasi Mosaicae narrationis veritas ad literam
 nequiret constare.

- 9 Universa terra labii unius fuit, ut diserte S.
 codex significat. Et quis crediderit, tertia,
 quartave generatione (viventibus adhuc fa-
 mi-

miliarum progenitoribus) nepotes jam inter se idiomatis dissensisse? aut hanc turbationem solum fuisse repositam in discordia multitudinis Architectorum, velut temere statuunt, qui patratum hic miraculum, ceu falso narratum a Mose, aspernantur. Vero propius accedunt, qui v. 8, **אשר לא ישמעו איש** : **שפת רעהו** de sola dialecti mutatione ad lit. explicant, non vero de **לשון** quod *hoc loco* non occurrit, hacque ratione nemo alterius assequi dicta potuit. Hanc confusionem excepit gentium divisio, & major semper temporis successu linguarum diversitas, ex rerum inventione, commercio, pronuntiatione, admixtione peregrinorum idiomatum, climate, accisa multum humana aetate, oblivione &c. In Oriente adhuc Abraham Chaldaeus cum Cananaeis aliisque nationibus absque interprete egit. Lingua *Hebraica, Chaldaica, Aramaea, Arabica* in nominibus permultis exacte inter se consonant &c. Etiam *Persica, Teutonica, Illyrica* aliaque *Europaea* non pauca eadem sunt. Conf. *Gazophyl. Linguae Persarum P. Angeli a S. Joseph edit. Amstelod. pag. 5.* Disquisitio, qua contenditur, quot linguae tunc ortae sint, prorsus superflua est. Conf. *Theodoret. Quaest. 61. in Genes. — — נרדה ונבלה* v. 7. (*divinarum Personarum testimonium*) antropopatheia est, divinam praesentiam, operationemque peculiarem designans: non ex *Homero* sumta est, ut blasphemant cum Juliano.

- ⤵ Servierunt diis alienis. scil. elatae mentis tumor, effrenis in voluptates licentia, moderationis cunctae impatiens voluntas, subnata rerum divinarum ignorantia, segnis ad excolendas primigenias veritates, qua rationi in-

inditas, qua revelatas torpor effecerunt, ut paulatim residua divini amoris, & timoris religionisque suffocarent semina. Et cum insculptam animis divini Numinis cognitionem abolere non sat possent, retenta vaga summi boni idea, debitum ejus cultum ad ea translulere sensibilia, ex quibus lineae tantum quaedam supremæ bonitatis, sapientiae, excellentiae, ac recti ordinis promicant. Solem, lunam, astra, elementa advenerati sunt, ceu numina satis clementia, quae nihil exigunt, vetant nihil. Idololatriæ initia alii a *Cain* repetunt ex *Epist. Judae*, in qua de impiis & pseudodidascalis sermonem facit, ac caetera inter flagitia defectum a fide & sanae doctrinae corruptionem enarrans, ait: *Vae illis, quia in via Cain abierunt.* Alii paulo post diluvium in Aegypto a *Cham* quem ipsum *Jovem Hammonem* rati sunt, petunt. Alii a *Sarug Avo Thare*, imo a *Nemrod robusto illo Venatore Gen. 10.* — Liber *Sapientiae* tres alios idololatriæ fontes indicat, nempe moesti parentis de chari filii funere luctum, cui levando, simulacrum nati erigitur, divinis postea honoribus maectatum: sculpti operis excellentiam, quod divinitatis dignam sedem stolide arbitrati sunt, & quod in idem recidit, simulacrum scite & affabre elaboratum, quod Deo consecrarunt. Sunt, qui cum *Calvino &c. cit. Libro* propterea vehementer excandescant, omnemque ejus pernegent authentiam, sed immerito, & non sine invidia, nam Auctor *sapientiae* haud negat, alias adhuc idolomaniaë fuisse causas, nec de iis omnibus singillatim differendi consilia sibi praestituit: solummodo absurdum illud scelus oculis sistere proposuit. Certe illam parentum ergo filios insaniam, & vicissim horum in parentes amorem idololatriæ

origines dedisse, ex profanis habetur perspicuum. Ex dictis abunde patebit, absurdissimam *Bolingbroke & Hume* opinionem esse, cum Theismum & veram Dei religionem superstitione ac polytheismo posteriorem, errorem itaque veritate priorem fuisse putent.

↳ Hunc in finem electus *Abram* e familia & terra sua jussus est egredi. Deus cum eo pactum solenni ritu & jurejurando inire *Gen. 12.* iterumque *c. 22.* confirmare dignatus est. Isto in foedere spirituale & temporale bonum adpromissum est: Illud *Semen benedictum* sive *Messiam* spectabat, in quo *omnes Tribus terrae* benedictionem referrent: *Gen. 22, 18. Act. 3, 2. 9. & 26.* Hoc in multiplicanda sobole & possessione *Canaan* situm est: Ipsa etiam circumcisio *Messiae* ex *Abrahae* semine ortum jam designat, quae omnia docte explicat *P. Balduinus Junius* Ordinis nostri in *Chronico Mor.* edit *Colon. pag. 4.* Heu! quam contumeliosi *hoc loc.* incredulorum sunt cachinni? bacchantum instar clamant, benedictionem **התברכו בורעך כל גוי הארץ**: de sola temporali ubertate & prosperitate capiendam esse: alteram benedictionem, quae certo eventum sortita est in populosissima *Hebraeorum* familia, quae 70. animabus constans, 215 circiter annis post ingressum *Aegypti*, etsi peracerba sit perpeffa, praeter parvulos, mulieres ac senes, 600000 numerabat bellatores, confictam esse, & fidem excedere omnem, dictant. *Circumcisionem* tandem ab *Aegyptiis* derivant, ex dubiis laciniis & contortis *S. scripturae* textibus. Ex eo autem, quod Deus ceu tutelaris cum *Abraham* ejusdemque posteris adeo familiariter egerit, atque *Deus Abraham, Isaac & Jacob* appellari voluerit, impie redarguunt, divinis id re-

repugnare attributis, nec potuisse fieri sine acceptione personarum erga creaturas. Tam miseris veterum paganorum ineptiis Mosaica scripta adoriri, non erubescunt.

§. IV. Abrahamo a caede Chodorlahomor redeunti occurrit & benedicit Melchisedech, Rex Salem & Sacerdos: juxta cujus ordinem Messias futurus erat sacerdos. 3

Victoria Abraham & Sacrificium Melchisedech

Incredulorum argutiae, quibus Abraham & Loth se junctos perstringunt, responso indignae sunt. Tam vero gloriosa haec victoria

Gen. 14.

haud fidem superat, nec miraculum reposcit, nam aevo illo Regum (Regulorum potius) necdum potentia vehementer accrevit: Praeterea juxta 318. vernas, Abraham simul confederatorum Aner, Escol & Mamre turmas adversus hostem eduxit, eumque distincto agmine concubia nocte invasit. An palma semper praeripitur ab exercitu copiosiore? contrarium experientia discitur. Hac igitur vice Loth assertus est ab Abraham: altera e Pentapoleos excidio per Angelos, hospitio prius exceptos. — Gen. 9. יהוה המטר מאת יהוה

Jehova fecit pluere cum Jehova: Ss. PP. haec verba ad Personarum divinarum distinctionem, & Filii divinitatem probandam adhibuere, & merito quidem; nam qui hebraisimum rati, Dominum a se ipso depluisse arbitrantur, scil. igne & sulphure coelitus demisso, non modo naturali, haud firmo consistant fundamento. In itinere Lothi uxor contra Angelorum monita post respiciens, in statuam salis est conversa. Hanc Sodomiticam conflagrationem insignia profanorum testimonia confirmant, & procusae ex illa Poetarum fabu-

bulae. Recentiores non pauci in statuum falsis, quam nos prodigiosam, illi vero incredibilem censent, paradoxa commentantur, mentione indigna.

De *Melchisedech*, qui insignis *Jesu C* typus, & dignitate, officio, mysterioque prae Abraham excellit, inanibus controversantur tricis, an *Virtus Christo major*, ipse *filius Dei*, *spiritus sanctus*, *Angelus*, *purus homo*, *Henoch*, *sem* &c. extiterit. Major gliscit discordia, an sacrificio etiam suo incrementum corporis & sanguinis *J. C.* sacrificium praefigurat, sicut *Ss. Patres antiquissimi Latini & Graeci summo consensu docent*, figuram cum veritate comparantes. Alienae communionis viri *prolationem panis & vini* Sacerdotalem ob verbum *הוציא*, & *D. Pauli ad Heb.* silentium pernegant, eum in finem, ut dum *Misam* aboluere, post extinctam penes se veritatis lucem, simul residuam exterminent umbram. Sed esto, notio *הוציא* primaria non sit *offerre*, etiam vocabulorum *עלה רום נוק* *קרב נגש בוא* illa non est, & tamen in script. hanc significationem obtinent, quare vox *הוציא* perpensis adjunctis omnibus ab hac notione excludatur? quae ex *Masoreticis Lexicis* suis congerunt tela, nullo negotio retundimus. Quod concernit *Apostolum*, affatim ille ad *Melchisedech oblationem* digitum intendit, quoties *Jesum C. sacerdotem secundum ordinem Melchisedech* appellat, ac de altari, de hostiis meminit. Ordinem vero istum ab hac *panis & vini prolatione* repetendum esse, ratio, ordo materiae & nexus reposcunt, traditio & *Ss. PP.* universi declarant & evincunt. Explicatio *de panis & vini oblatione* mentio *S. Apost.* scopo minus profuisset, qui
Mel.

Melchisedechum Abrahamo & Levitis praeferre connitur, & hujus Ordinis sacerdotes *panem & vinum*, ceu sacrificia duntaxat secundaria, & aliorum velut condimenta obtulere, alioqui longe pretiosiora holocausta &c. — Ille Ordo, ad quem David provocat *Psal. 110.* fitus non fuit in sola benedictione, aliave Melchisedech inter & Christum J. analogia, nam *Heb. 5, 1. & 8, 3.* munus primum & dos insita sacerdotis est, ut *munera & hostias offerat.* Voces *על דברתי & כוהן* complures mallent obscurare, sed nonnisi perversum animum produnt, quo ostendent, se falsas declarationes scire procudere.

§. V. Abrahæ 100. annorum ^{Nativitas} festi ex Sara muliere effoeta natus est Isaac ^{Isaac}
 ☐ Hunc Deus, ut paternam fidem exploraret, in holocaustum mactari imperavit. Praenuntiatur ex ejus semine eventura gentibus omnibus benedictio. Isaac ^{Gen. 21. Fil. des Abrahæ} Rebecca uxor obtigit, filia Bathuel, ^{22. Rebecca} qui ex Nachor ortum duxit: ex Rebecca ^{24. Esau & Jacob 25.} gemello partu nati sunt Esau & Jacob. [☐]

☐ *Isaac* nomine suo risus & laetitiae argumentum exprimit *Gen. 21, 6.* sed tam charam sobolem Dominus vitae & necis poposcit in victimam: Hunc primogenitum suum etiam Pater per *fidem* obtulit, in quo promissiones acceperat, cum illud secum perpendisset, Deum vel a mortuis excitare posse, unde illum videtur quodammodo recepisse *Conf. Heb. 11, 17.* Nonnisi vanæ & malitiosæ naeniæ sunt, quibus multi scioli divinum illud

Iud praecipuum audent impetere. Potuit Abraham illud certissime rescire & compertum habere, & debuit illi morem gerere: Certo modo enthei sunt, qui S. Patriarcham in hoc facto enthusiastam dicere non horrent: — Benedictio *Gen. 22, 18.* gentibus omnibus elargienda praesagitur, cujus interpretatio: *Gentes cunctas, percepta Abrahae posterorum gloria & felicitate, hanc beneprecandi formam esse usurpaturas: Deus tibi benedicat, sicut posteris Abrahae,* apertae falsitatis convincitur: id genus hermenia risum cietet, nisi in re maxime seria versaremur.

ויתרצו הבנים בקרבה *Gen. 25, 22.*

Cum filii inter se materno in utero colliderentur, Rebecca moesta consultum ivit Jehova, a quo oraculum accepit, gemellis, nationum duarum auctoribus, quorum major minori aliquando serviturus, illam foetam esse. Incerta moliuntur, qui filente S. scriptura, in verba לדרש יהוה tam varia & multa edisserunt. *Jacob* dictus est *supplantator: Esau* hirsutus & rufus *Edom.* Relatio Biblica de *Esau corpore* (ubi nullum exigitur prodigium) nihil *infantibus omnibus solenne,* ut falso *Matth. Knuzen* obmovet, nihil ad lectionem nostram inutile exhibet, ut patet ex seq.

Benedictio a Jacob ablata *Gen. 27.* iter in Mesopotamiam & visio *Lu. cta 32,*

§. VI. Jacob paternam benedictionem (*Isaac* senio caligante) surripuit fratri, & cujus iram declinaturus, ad *Laban* Rebeccae fratrem fugit: & Hac in peregrinatione Deus illi apparuit, a quo ex culmine scalae e coelo ad terram protensa, certior redditus est de Messia ex stirpe sua nascituro. Ex Rachel, Lia,

Ba-

Bala & Zelpha suscepit duodecim filios.
 ק Ob invidiam Laban abire coactus Ja-
 cob cum המלאך יהוה luctans praevaluit,
 ex quo dictus est ישראל DEO PRAEVA-
 LENS. 7

¶ Ista *Rebecca* & *Jacobi* negotia, si literae,
 ut decet, intendatur, nequeunt excusari. Nec
 S. scriptura, nec ulla etiam id exigit necessi-
 tas. Recte Isaac hanc molitionem v. 35.
 במרמה dolosam vocat & iniquam. Ex *Tit.*
 emptionis multis de causis jus nullum prae-
 rogativae natalis acquisivit, & Isaac semper
Esau primogenitum suum reputarat. Quam-
 vis igitur illa tractatio futurorum bonorum
 fuerit praesaga, non tamen, prout a Jacob
 gesta est, a mendacio eximitur, sed ut ad
 praesignandum a Spiritu S. nobis traditur.
 Etiam *Judae* cum *Thamar* concubitus, *Sam-*
sonis cum scorto Gazaeo fornicatio, *Joseph* ven-
 ditio, *Pharaonis* persecutio, *David* accessus
 ad *Bethsabeam* symbola fuere ac prognostica,
 non quantum a Viris hisce perpetrata sunt,
 quibus nihil tale in mentem venit, sed quia a
 Theopneusto ad denotandum, quod futurum
 est, assumta, non peccantis opere, sed scri-
 bentis ut ait S. *August.* c. *Faustum* Lib. 22.
 c. 83. ubi statim prosequitur: *Ea* quippe ho-
 minum facta, sancto spiritu disponente atque
 inspirante, collegit *Propheta* narrator, quo-
 rum interpositio non vacaret a praesignatione re-
 rum, quas intenderat prophetare: ad signifi-
 canda autem aliqua bona, nihil interest, fa-
 cta illa, quibus ea significantur, seu bona,
 seu mala sint. Et toto S. P. discursu liquet,
 sicut ab allegoria & parabola saepenumero
 ex re minimi momenti deprompta, ita etiam
 ex

ex dicto mendaci, & facto non infonte prae-
sagiri veritatem posse & ostendi.

¶ In hac servitute fluctibus multis jactabatur,
& foetus furvos, variosque multiplicandi ar-
tem didicit. Sunt, qui praeter naturae leges
nihil hic intuentur, quantumque vis imagi-
nandi efficere queat in matribus, cum *Bo-
charto* exemplis ac experientia longa probant.
Alii ex *Gen. 31, 10* singularem divinae pro-
videntiae ductum, imo prodigium agnoscunt.
Jacob multum lucri ex hac arte nactus, non
inique contra Laban egit, limis tamen ex
invidia & indignatione oculis passim aspici-
ebatur.

¶ Ex natis *Ruben* ob incestum cum *Bala* Pa-
trem summa affecit moestitia, jure natali pro-
pterea spoliatus. *Simeon* etiam atque *Levi*
in caede Sichemitarum perfide, crudeliter &
sacrilege deliquerunt, & furori huic Jacob
maleprecatus est. At propheticam hanc
maledictionem a *Levi*, *Mosis*, *Aaron*, *Phi-
nees* & plurium Levitarum zelus iterum amo-
litus est: in *Simeone* tamen illa permanfit pro-
pter fornicationem *Zambri* cum *Madianitide*
Cozbi & idololatriam; quomodo vero Tri-
bus utraque in *Israel* dispersa fuerit, satis pa-
tet. — Libri *Judith* authenticam multi im-
pugnant, eo quod c. 9, 2. 3. facinus *Simeonis*
videatur laudari, cum insigne crudelitatis
exemplum Jacob execretur, verum si dicta
Judith aequo judicio librentur, illa solum
Deum celebrat, qui *Simeoni* gladium, vires
& facultatem contra *Sichemitas* dedit, quo-
modo alioqui tyrannis, & latronibus Deus ira
accensus permittit, ut justitiae suae sint ad-
ministri. Hac ratione quoque *Nabuchodonosor*
servus Dei dicitur *Jer. 25, 9.* & *Ezech.*
29, 19. & 20. Laudaverit etiam factum il-
lud

Iud Herodina, quid tum? nam & zelus indiscretus utcumque saltem laudabilis est: pari modo laudari posset obstetricum in Aegypto mendacium, quibus praemia a Deo collata.

γ Errant, qui hanc trans vadum *Jaboc* luctam ad phantasiae folius insomnia ac terriculamenta ablegant; nam qui attracti femoris nervus ita emarcuisse dicatur? delira haec opinio plane refellitur *Gen. 32, 24.* collato cum *Osee 12, 4.* ubi **איש** colluctatorem *Angelum* fuisse, clare elucet, cui Jacob precibus & lacrimis, non virium robore praevaluit. Qui gloriam *Angeli Foederis* hic Incarnationi praeludere dignati, considerant, nihil divinis attributis adversum, sed summa profluere mysteria ostendunt. Facessat stulta sentiendi libido, quae latronem ab Esau immissum, spectrum, ipsum satanam, cujus existentiam alias negant, proterve fingit. Arguit Incredulus quidam, nomen *Israel* hic Jacobo datum, esse *chaldaicum*, ante Captivitatem Babel, Judaeis incognitum, ex quo sacros hos libros discrimini & sublestae fidei suspicioni objicit, sed manifeste ac immane fallitur, quod Tyro philebraeus demonstraverit ex **שרה אל** vel **שור**.

§. VII. Joseph **ש** variam in Aegypto fortem expertus, tandem rei frumentariae, totique regno praefectus **ת** Patrem cum tota familia illuc accersit. **ך** Post aliquot annos mortem Jacob optiit, ante quam celebre edidit vaticinium **49.** de tempore orituri **שילה** . **ס**

Joseph
in Aegypto a
Gen.
37. ad
48.
Mors
Jacob
49.

ש Joseph Gen. 41, 45. צפנת פענח *Zapbenat*
Paëneach (ex litura Masoretica) a *Pharaone*
 nuncupatur: hoc nomine Philologorum mul-
 ti, etiam ut Aegyptiacum est, *Abcondito-*
rum repertorem, aut interpretem designari
 contendunt. *Zapbenat* reducunt ad rad. צפ
 & *Paëneach* ad צפנ ob affinem *Aegyptiacae,*
Punicae, Arabicae &c. linguarum Oo. dia-
 lectum, & ita ex *Heb. & Arab.* de hac vo-
 ce litem se consecisse putant. Praeplacet ta-
 men *Salvator mundi* ex *Authoritate D. Hie-*
ronymi in QQ. & Nom. Hebr., ubi notionem
Heb. ab Aegypt. S. D. discernit, ab Aegy-
 ptiis aevi sui magistris ita eruditus. Adhaec
 in lingua *Coptica* sive antiqua *Aegyptiaca*
Pfotem Pane salvatorem saeculi denotare, te-
 ste *Martiano*, docti viri testantur. Certe
 dum *Joseph* non somnia tantum feliciter ape-
 ruit, sed optima quaevis in salutem *Aegypti*
 consilia suggestit, nihil ille titulus singulare
 contulisset, quo etiam nomine *Magi, Arioli,*
Haruspices, quibus redundavit *Aegyptus,*
 passim abutebantur. Videant ergo, an jure
Edit. nostram antiquissimam hoc loco vellicent,
 & aspernentur, ut *Sixtinus Amama, Aug.*
Pfeifferus, Joan. Gerhardus & plerique
Protestantes.

¶ In *Josepho* licet virtutum pene omnium deco-
 ra, & morum documenta statui cuius ad
 imitationem resplendeant; nihilominus tanti
 Viri & Patriarchae characterem atrum nimis
 infensi increduli depingunt, & adeo teme-
 rant, ut nihil supra. Scil. tam acerbo ex-
 candescunt odio contra *V. T. sanctos,* prae-
 cipue *Jesu C. Typos,* tam flocci pendunt &
 detorquent lucida *Ss. lit. de iisdem testimo-*
nia, cum alias tyrannos, impios idololatrias,
 ini-

iniquissimos Ecclesiae, & bonorum omnium persecutores, & concinnata ab iis fragmenta ad astra evehant. Antiquiores profecto ethnici, & ipse *Mahumetus* honestiora & placatius detantis viris sensere; sed quis vertiginis & extremæ improbitatis spiritus honeste rotet veritatis hostes, perspicuum quis non habet?

¶ *Gen. 46, 27.* Omnes animae domus Jacob, quae ingressae sunt in Aegyptum, fuerunt septuaginta. Conf. *Exod. 1, 5. Deut. 10, 22.* Ita *Heb., Samarit., Chald., & versiones reliquae.* — Sicut *Gen. 11, 12.* de Genealogia Arphaxad & Sale, secluso *Cainano*, & ibidem v. 26. de *Abrahae* anno natali, scil. *Thare 70.*, ita etiam hoc loc. *JJ.* multi & docti *Mosen* sequuntur, relictis *LXX.* Difficilem quaest. hanc ex iisdem, & *S. Stephano Act. 7, 14.* plures expedire hypotheses cum nitantur, praefendum semper censemus systema Polyglotti Ecclesiae Doctoris in *QQ. Heb.*, illoque acceptato (mendosis licet *LXX*) nihil de *S. Stephani*, minime vero *S. Lucae* auctoritate remitti aut detrahi, propugnamus, ita acyrologias non paucas declinaturi.

□ Bonus senex propediem obiturus שְׁחַחוּ יִשְׂרָאֵל
 עַל רֹאשׁ הַמַּטֵּה; diversis iterum motionibus *LXX* ab *Apost. Heb. 11, 21.* citati, atque *Masoretæ* textum hunc adornarunt. Diversae *Ss. PP.* analyses: diversae conjecturae & crises sunt. — Tandem *verba c. 49, 10.* *Spektant Messiae adventum, & sensus eorum hic est: licet aliae Tribus sequentibus saeculis ita dissipandae sint in diversas orbis partes, ut earum nulla corpus aliquod commune & publicum efficiat, Tribus tamen Juda servabit suam πολιτείαν* sive civilis & legitimaе com-
 mu-

munitatis formam, ita ut sit populus & multitudo suis legibus utens, semper conservanda, usque dum venerit Messias. Hinc cum disturbatam & disjectam illius Tribus communitatem & civilis corporis formam videris, certus sis, advenisse Messiam ita. Theologi Argentineses in lib.: *Judicium de Libro J. L. J.* pag. nobis II. Infra probant veram hanc loci intelligentiam ex *Scherlok Ep. Bangorensis*, & *Clemence Can. Rbotom.* eruditissimis scriptis.

Respublica sola fere Tribu *Juda* constiterat: caeterae aut inter gentes quibus servierunt, dissipatae sunt, aut cito interiire. Reliquiae *Benjamin* cum Tribu *Levi* ad illam accesserunt, sicque toti nationi *Juda* nomen suum dedit. Supremus principatus haud diu penes hanc tribum fuit: ex illa duo tantum *Judices Abesan & Othoniel* fuerunt, & a Davide usque ad Captivitatem Babel regia dignitas in *Juda* quidem effulsit, sed post reditum Principes erant *Assamonaei* Pontifices usque ad Herodem *Allophylum*, quem *Josephus Idumaeum*, sed *Nic. Damasc.* ignavus assentator *Judaeum* facit. Hic revera, cum Herodes politica tantum religionis professione fuerit *Judaeus*, defecit sceptrum, & respublica indies majorem in ruinam caepit disjici. Sub idem tempus Romanorum jugo oppressi, & domesticis perturbationibus afflicti *Judaei Palaestini*, cum omnia in pejus ruerent, perimpense Salvatorem anhelarent, quae etiam expectatio innotuit Gentilibus: scil. tum Regem summum nasciturum, ac fore, ut *Judaea profecti rerum potirentur.* Oracula illa *Virgilius Pollionis filio*: *Svetonius Augusto*: *Tacitus Vespasiano* tribuunt.— Cum omnia *Judaeis* in figura contigerint, & populus ille collectus typus esset populi fidelis

a Christo colligendi, congruum erat, ut facta hac collectione, jam desineret Juda esse populus, sive respublica. Revera crescente Ecclesia, Judaicae simul calamitates & strages accreverunt, & tandem templo cum urbe everso, ablatum prorsus est sceptrum, & respublica omnino ad incitas redacta. Tunc Judaei extorres, & mancipia (innumeris tum a se ipsis, tum Romanis atrociter interceptis, flagris caesis, in crucem actis, membratim dissectis &c. &c.) sole clarius intueri poterant, quam mutationem, finemque Judaicae politiae Jacobaeum oraculum praemonstravit. De hoc vaticinio singulari eruditione tractat Cl. Imbonatus a pag. 61.

§. VIII. Mortuo Joseph & posteris Jacob in gentem jam maximam auctis } *פרו וישרצו וירבו*: Exod 1, 7. Servitus Hebraeorum & infantia Exod. 1.
 mora est Aegyptiorum invidia & saevius furor: ac ideo durissimae servituti ingemuerunt: quin labentibus annis Pharaon recens natos Hebraeorum in Nilum jussit projici.

} Tam uberem populi numerum haud vero constare, contra *S. lit.* impudente mendacio & temeritate effutitur, sed praeter singularem Dei, qui illum pollicitus est, Conf. *Gen.* 22. & 28. providentiam, naturae opitulatam, adjuncta hic singula perpendere oportet. Vixere sat diu & quidem in fervente climate Gessen, bonorum opulentia, binae segetis annona, prosperitate, animique otio pasti. Juventus fuit tempestitiva, & feris necdum annis deserbuit. Omnes augendae semper proli avidissimi, oppressio autem decreta est, defuncto Joseph & universis fratribus ejus, omnique cognatione. Quibus coacti sunt, labo-

bores domestici, civiles, rustici, fabriles &c. humeros insuper, vires & Israelitarum sanitatem corroborarunt. Conf. *Exod.* I, 9. —
 14. Sephora & Phua ferali decreto non paruerunt. Immersio pusionum annos paucos (nec ubique, nec post extinctum immanem regem) progressa videtur. Tandem cogitent, quot olim incolis veteres Siciliae urbes Agrigentum & Syracusa, Picenum, aliaeque Italiae regiones abundarint, tum ex hac provincia concludant. Quaerit *Bolingbroke*, cur magnanimo ausu a cervicibus suis hoc calamitatis jugum non depulerit populus ad stuporem numerosus? sed enim advenae, subditi, pastores fuere, nec armis instructi, nec in velitationibus veriati, & paulatim animos desponderunt, timore perculsi, ne ulla seditio in illos aut fata adhuc acerbiora Conf. *Exod.* 5. verteret, aut immissa vel levis armaturae cohorte ex Aegyptiis ad deditionem subigerentur turpissimam & nimis fatalem.

Nati-
 vitas
 Mosis:
 Expo-
 sitio, &
 fuga
Exod.
 2. Vi-
 fio in
 Horeb
 3. fig-
 na &
 plagae
 a C. 5.
 ad 13.

§. IX. Nascitur Moses, juncinae aut scirpeae innexus corbi, pice illitae, & fluminis ripae imponitur. ¶ Aliquando aulam, in qua adolevit, perosus fugit. In solitudine a Deo, qui eum ex ardente rubo allocutus, jubetur, Hebraeos liberare ¶ quod divinum mandatum in portentis significavit Pharaoni, Na quo tamen nonnisi post ingentes plagas populus dimittitur. 3

¶ *Moses Amram & Jochabed* Filius (quam inscite & temere ex incestu natum calumni-entur, nemo non cernit) a Regis filia, quae *Thermutis* soletj dici, adoptatus, omni sa-
 pien-

pientia Aegyptiorum eruditus est. *Act.* 7, 22. Praetermittimus *Josephi ac Judaeorum* fabulas, quae etiam *Petro Comestori* placuere: *Silemus Artapani & Gentilium* interpolationes, *Plinii & Apuleji* dicteria &c. Vir factus Aegyptium Hebraeo adversantem: מצרי: מכה איש עברי: peremit, & prodita caede Madianitiden petiit. Hoc facinus inexpiabile arbitrantur *Tindal & Ilive* cum incredulis.; verum *Mosen* virum alias mitissimum *Num.* 12, 3. divino impulsu actum, juste ac licite egisse, miserumque opis indigum eripuisse, liquet *Act.* 7, 24. 25. his circumspectio & fuga non repugnat.

¶ *Exod.* 3, 7. 8. *Vidit Jehova afflictionem populi in Aegypto & clamorem ejus audivit, ... & sciens dolorem ejus descendit, ut liberet eum de manibus Aegyptiorum.* Ex plano apertoque *Ss. Lit.* sentu *Magni consilii & Testamenti Angelum* apparuisse propugnamus. Si *Ss. PP.* contra hydram *Arianismi* olim depraeliantes, יהוה quod amplius trecenties in *Exodo* occurrit, ceu divinitatis singulare nomen & characterem sensu proprio sumere, ut *Verbum* jam ante *Virginem Matrem* extitisse demonstrarent, hodie etiam contra *Socinianos*, quorum heu virulenta placita late, sicut cancer serpunt, ad literam divinum hoc nomen interpretari expedit. Nonne *Incarinati Verbi* divinitatem *denominativam* vel *repraesentativam* solum fuisse, impie mentiuntur, eum etiam המלאך *V. T. Mediator*, tot prodigiorum patrator, licet se deum esse & dixerit, & comprobarit, personam tantum *Dei* sustinuisse putetur. Hanc in rubo visionem את המראה הגדול quae populum *Israel* atrocissimis persecutionum incendiis non conflagran-

grantem, sed ope divina conservatum exhibuit, etiam testatam reddit *Artapan.* apud *Euseb. Lib. 9. Praepar. Evang.* subditur *Exod. 6, 3.* וַאֲרָא-בְּאֵל שְׁדֵי וְשֵׁמִי יְהוָה לֹא נֹדַעְתִּי לָהֶם: *Apparui tanquam Deus Schaddai, sed nomine meo JEHOVA non innotui illis.* Tria simul occurrunt divina nomina inter decem a *S. Hier. Epist. ad Marcell.* enumerata. His non Deus, sed homines indigent, ut sempiternae Divinitatis attributa alter alterum edoceant, ac supremum Numen in coetibus colant. Plenior illorum omnium notitia ad retegendos plurimum Ss. Loc. sensus oppido necessaria est. De nomine *Jehova*, quod proferre, Hebraei nefas habent, ejusque lectione prisca & moderna ac significatione per multa scitu utilia & jucunda tractantur. Cit. *Versum* sat difficilem, ubi summi inter se Viri discrepant, & suis committuntur judiciis, nexu optimo exponi censemus, si missa *prolepsis* *Motaica* & *fig. interrogationis* Ss. tetragrammaton de re ipsa ac significatione per nomen adumbrata illustretur. Apparuit scil. Deus Patribus — — comprobavit se fortem, munificum & omnipotentem, repetitis tot ingentibus promissis, sed hi laboribus, peregrinationibus ac aerumnis immortui, optatam coronidem non aspexerunt, sed vos rem & vim nominis nunc compertam habebitis.

¶ Prope tunc fuerat, ut ministerio Mosis primitivae Ecclesiae oeconomia paulo aliam exhiberet faciem, necesse igitur erat, ut vir tantus prodigia, divinae missionis sigilla, perficendi virtute ab alto instrueretur, quod hic triplici contigit miraculo, quidquid ringantur increduli. Mosis adversarii Aegyptii fuerunt Magi, quos inter *Jannes* & *Mamres* potiores egerunt partes. De horum portentis, praecipue

pue serpentibus vel draconibus varia JJ. arbitran-
 tur. Praetermissis opinionibus nulla consideratione
 dignis, sunt, qui meras oculorum praestigias, ob-
 jectasque larvas contendunt, velut solenne est lu-
 dionibus & agyrtis. Alii subductis repente vir-
 gis, veros substitutos esse serpentes opinantur :
 Alii cacodaemonis operatione conversionem ali-
 quam intercessisse, volunt. Et profecto nullo huc-
 usque argumento, auctoritate nulla irrefragabili
 ostensum est, daemonum potentiam leges corpo-
 reis primum naturis positas non excedere, neque
 ex hoc consequeretur, Satanam *signa magna & pro-*
digia Conf. Matth. 24, 24. vere talia posse ope-
 rari, nam illa Pseudochrist. — & Prophetarum, quae
 falsam promovent doctrinam, gesta tantum ex-
 traordinaria sunt, fallentia tamen semper & men-
 dacia. Qua demumcunque ratione, arte, vel stro-
 pha Magi Pharaoni luserint, haec tamen facta cer-
 tum est contigisse. Haud recta via ingrediuntur,
 qui haec *Ss. Lit.* verba Philosophorum placitis &
 systematis accommodant, & inepte detrudunt,
 allaborandum potius est, ut haec illis consentiant.
 Dum vero id genus mirabilia permittit Deus, altissi-
 mos justitiae, providentiae ac sapientiae fines ad-
 veneramur. — Afflictiones Aegypti 10 sunt 1.
 Cruor ex undis 2. Ranae 3. Cyniphes sive pediculi
 4. Colluvies insectorum 5. Pestis armentorum 6.
 Poenae ulcerum & tumoris 7. Plaga grandinis 8
 Locustae 9. Tenebrae triduanae 10. Internecio
 primogenitorum, qua hominum, qua jumentorum.

דס הצפרדעים כנס ערב דבר במקניהם

שחן ברד ארבה חשך מות בבכוריהם

In his omnibus animum obfirmavit *Pharao*,
 non vero Deus, cujus bonitati & justitiae id re-
 pugnat. *Exod 10, 16.* Pharao ipse culpam sibi ad-
 scribens, ostendit, cordis obduratio cui tribuenda
 sit, & oblatae gratiae repulsa. Mirum profecto,
 contrariam sententiam ab omni pietate, VV. PP.

dictis, & communi Ecclesiae sensu alienam, quam ceu crudelem mens horrescit, *Calvino* arisfisse, ex sinistre intellecta *Ss. Lit.* phrasi tam frequente, ex ignorantia constructionis hebr. *Hiphil* hoc loc. *permissivae vel declarativae*. Multi hodie cordate tam truculentam rejiciunt sententiam. Quoad *ultimam plagam* & sequentia: *Carol. Houbigant* hic valde profusus, omnia susque deque collocata, totamque seriem turbatam esse, implicitamque audet dicere, sed minus accurata crisi, nullo gravi adducto fundamento: contrarium evincit constans Hebraeorum voluminum lectio, *Mosis* optimi scriptoris officium & sinceritas, & *S. Script.* integritas. Et si profanos codices aliqua cum modestia deceat expendere, quam longe majore cum reverentia ad Scriptum tam sublime, tam sacrum accedere fas est? ne *Hagiographo* affingatur quidpiam, quod ab omni alio oportet esse alienum.

☞ *Moses* divinitus certus post plagam ultimam populum dimissum iri, praeterea jubetur, ut nemo non pretiosa ab *Aegyptiis* postulet, mulieres in *Gessenitide* a vicinis, aliisque in locis viri, *Domino gratiam dante populo suo coram Aegyptiis*. Contra recentium ethnicorum furorem *Mosis* & *Israel* famam, praeceptumque divinum attributo nulli repugnare asserimus, ex illimitato Dei in omnia dominio: ex debita mercede pro duris laboribus in excitandis urbibus & maenibus *Python* & *Rameffes*, caeterisque operibus: ex facta utrinque permutatione, nam pro his cimeliis *Aegypto* remanserunt *Israelitarum* aedes & fruges (prostrata segete) perutiles. *Joseph. Antiq. Jud. Lib. 2. c. 5.* liberam fuisse donationem transferibit: Et certe וינצלו את מצרים non fuit spoliatio iniqua, nec mandatum divinum a *Mose* confictum: *Conf. Gen. 15, 14.* ubi *Abrahamo* jam haec opulentia praedicta. — Illam populi a servitute liberationem typum fuisse, formamque liberationis a peccato per *Messiam*, exitus demonstra-

stravit: mactaverunt agnum, cujus sanguine ad
jussa divina sua conspersere ostia: hoc idem *V. T.*

כֹּהֵן cum singulis ceremoniis typus & realis pro-
phetia fuit veri Paschatis nostri *Jesus C.* in ratio-
ne sacramenti, sacrificii & convivii. Exterminator
Angelus, qui tum cunctas Aegyptiorum perva-
dens domos, primogenitos interfecit omnes, ab
Israelitis, quorum aedes sanguis distinxerat, ab-
stinuit: sic Agni immaculati cruore servamur ab
aeterna morte, & per aquas baptismatis, quibus
mergitur peccatum, ad vitam transimus aeternam.
Per *Angelum* cit. alii bonum, alii malum intelli-
gunt genium; qui vero literae insistant, Dominum
intelligunt, qui percussit Aegyptios, Israel con-
servavit & aliquando *per mortem destruxit eum, qui
habebat mortis imperium, id est diabolus, & li-
beravit eos — qui obnoxii erant servituti.* Heb.
2, 14. 15.

§. X. Mare rubrum מִן הַיָּם sive algo-
sum recedens viam Hebraeis aperuit, &
reversum operuit Aegyptios, qui aliis
consiliis Hebraeos volebant ad servitutis
jugum revocare. 1

1 Omnia *ss. Lit.* prodigia, siquidem religionis
veritatem inconcussa stabiliant, Bibliomachorum
cavilli falsaeque hypotheses nunquam non feriunt;
hoc tamen de admirabili maris erithraei transitu
portentum cunctis viribus enervant, & ad plenum
industriae opus, quo Israelitae rudes, mari recipro-
co nunquam viso decepti, adnituntur deprimere,
imo profanis *Alexandri, Scipionis, Luculli* histo-
riis equiparare. Et hoc stupendo prodigio ita
eluso caetera facili negotio labefactari credunt &
cupiunt; verum sola Mosaica relatio simplex &
candida, quae in universa Ecclesia, Judaica olim
& jam Christianae primas semper tulit, & traditione
perpetua, gentiliumque scriptorum testimoniis
obsignatur, hanc audaciam, has calumnias &
im-

Tran-
situs
per
mare
ru-
brum
& per-
nicies
Aegy-
ptio-
rum
Exod.
14.

impietatem retundit. Miseram & risu dignam
crisim! populum numerosissimum & integrum
sensu communi privant, & in dementiam talem
conjiciunt, quasi apertis oculis, auribusque in
hoc stupendo facto & publico, arenam fluvium
a mari in muros disjecto nescierit discernere.
Ergo tot hominum millia talismodi
transfretatio, columna nubis, & postea Mannae
elus adeo sefellit, ut ne unus quidem dolus
adverteret, & concitatis deinde tot seditionibus,
acerrimis populi querelis, Mosaicis reprehensionibus,
plebe & principibus, Aarone & Maria virum
mitissimum admurmurantibus, reclamaret,
abjecto legis observatu permolestae jugo. Vana
profecto & ridicula contra hoc miraculum, quo
Hebraei recta via ab uno litore ad oppositum
pertransierunt, molimini! — Etiam *via semicircularis*,
& agger per terrae motum excitatus, quem nonnulli
statuunt, simul & hypothesis longioris maris recessus,
quam *D. Michaelis* commentus est, merito rejiciuntur.
Ex hac servitute, & populi liberatione praeclare
divinae providentiae rerum omnium moderatricis
dispositio elucet, id agentis, ut gloriam suam
mundo patefaciat.

C A P U T II.

VINDICIAE POTIORUM DOGMATUM, QUAE NEGANT SOCINIANI.

Nequaquam errorum monstra nova sunt, quae hodierni
Theistae infauiste edunt, & ab orco revocant, praecipue
Babrdtius in sua fidei professione &c., elimatiore tantum
fucos comita illa esse, quis nesciat? Venena haec omnia
jam effudit *Mich. Servetus* patria Tarraconensis, arte
Medicus, secta Anabaptista, Sacramentarius, Antitritarius
&c.: cumque errores suos, de obstinatione nihil remittens,
maledictis & conviciis propugnaret, accusante, & strenuam
operam dante *Calvino* Genevae die 27. Oct.

1557.

1557. vivus rogo perit. Nefandi errores igne, quo auctor, non extincti sunt, sed Poloniam, Transylvaniam, Hungariam, &c. foede invaserunt. Blasphemias fecerunt suas, easque propagarunt *Val. Gentilis*, qui spreto suo iurjurando, post palinodiam, varias poenas publicas, fugam, evasiones, cum atrocius in SS. Trinitatem & Symbolum, quod *S. Athanasii* nomine solet inscribi, baccharetur, curante *Musculo Bernae* capitali supplicio interiit, 1566. Praeter hunc Antitrinitariorum duxere agmina *Georg. Blandrata* Medicus, qui in Transylvania a fratris sui filio strangulatus. *Paul. Alciatus*, cui ad Mahumetanos defecit. *Matth. Gibraldus*, peste enectus. *Franc. Lismaninus*, qui in puteum se egit praecipitem. *Franc. Davidis*, qui ruina domus repentina fertur oppressus, juxta alios vero jussu Principis Transylvanicae *Christoph. Bathorei* in carcere 1579 peremptus: et si *Jac. Thuanus* alio miserabili exitu anxiam vitam illum finisse velit. Hi Antesignani sunt, & teste *Beza Epist. 81.* haereseon omnium commenta permiscuere cum suis; Veritatis enim assertores sunt advenati *Eutychem, Nestorium, Samosatenum, Arium, Donatum, Helvidium, Nepotem, Eunomium, Praxeam, Photinum, Cerdonem, Sabellium, Acephalos*, ut unum hoc superesse videatur, ut *Satanam ipsum in Dei & veritatis loco collocarent*. Tandem *Laelii & Fausti Socinorum*, qui impietate inter illos omnes excelluerunt, nomine pestilentissima Secta cepit celebrari. Ille *Senis* patria urbe 1547. relictis, admodum adolescens complura regna, provinciasque emensus, *Calvino, Melanchtone, Beza, Bullingero, Musculo, Munstero, Petro Martyre* familiariter usus, dissimulandi arte gnavigiter imbutus, haustum a *Serveto* virus caute diffudit, & *Tiguri* 1562. aetat. an. 37. obiit. *Faustus Patru* hujus sui scriptis sibi vendicatis pessimos istos dispersit errores. Horum postea pertinacissimi fuere defensores *Joann. Crellius, Jonas Schlichtingus de Bucovice, J. L. Wolzogenius, Christ. Ostorodus, Joann. Volkelius, Val. Smalcius*, & plures alii, conf. *Oederi arborem* in refut. *Catech. Racov.*, quorum opera non sine magno Christianae religionis damno apud *Batavos* edita, Titulo: *Bibliotheca Fratrum Polonorum, quos Unitarios vocant.* de *Socino*, qui *Luclaviciis* in Polonia an. 1604. aetat. 65. vivere desuit, aedeciae barbaro metro canunt:

To.

≡

*Tota licet Babylon destruxit testā Lutherus,
Muros Calvinus, sed fundamenta Socinus.*

Dum pestifera secta 1658. Joan. Casimiri Regis edicto, Polonia est expulsa, Sociniani regiones varias pervagati sunt, & vix dici potest, quot inter Protestantes, Anglos potissimum invenerint profelytos; imo teste *Bossuet*, vix modo inter Reformatos scriptor prodit, qui aliqua ex parte Socinianis non adhaereat. In Ecclesia & Academia Genevensi Socinianismi notam etiam *praescripta fidei professione* 1758. non sublatam, sed auctam esse, bene multi aperte docent. Mirabile autem non videatur, hanc alioquin absurdissimam sectam tot, tantosque fecisse progressus etiam apud viros in literaria republica non obscuros; nam observante cit. *Bossuet*, facile fuit, hominibus vana scientia inflatis eam persuadere Theologiam, quae una cum *Trinitate* omnia alia mysteria evertens, totum illud a Religione aufert, quod iis maxime difficile videretur, qui non nisi evidentiam confectantur.

I. SACRA SCRIPTURA.

2. *Tim. 3, 16. omnis Scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad erudiendum in justitia. Conf. 1. Thess. 2, 13., 2. Pet. 1, 19. Antithesin habet Babrdt p. 28. in declarat. fidei suae.*

REFLEXIONES. Cum Scriptura sacra *utriusque foederis*, verbum Dei sit, nobis a Deo revelatum, literis exaratum, & per Ecclesiam manifestatum, primo *revelatio*, aut *inspiratio*, aut *assistentia* divina Scriptori sacro necessaria; deinde cum *omnis prophetia Scripturae propria interpretatione non fiat*, Ecclesiae, quae est *columna & firmamentum veritatis*, auctoritas quoad libros, sensum & interpretationem accedat, necesse est; nam in tanta disputationum de ipsis Scripturis illarumque intelligentia, deque religione discrepantia & varietate, in tanta errorum ac errantium licentia, accrescente ad nauseam indies Lect. variantium ubertate, quis alius sedebit Judex, qui dissidia componat, lites terminet? Et tam brevis, expedita & necessaria litem omnem decidendi via, scil. decretoria Ecclesiae sententia quomodo tam diu potest displicere Ad-
ver.

versariis? qua simul & veritati consulitur, ac difficultates examinis immensae, ac infinitis prope fidelibus insuperabiles tolluntur, quos ait *Tertull. lib. de Praescript. c. 14. edit. Commel. fides salvos fecit, non exercitatio scripturarum: --- Auctoritati credere magnum compendium est, & nullus labor S. Aug. de Quantit. animae c. 7. edit. Antv.*

Exemplo fit *Joann. 10, 30. & Joann. 8, 58.*; Catholici omnes contra veteres & recentes *Arianos* ex his Christi Divinitatem demonstrarunt; at Calvinus *priorem loc.* de morali tantum affectus & voluntatis unione intelligit, in *Joann. 10. edit. Amstelo. pag. 103.* cui discipuli ejus merito renituntur. *Alterum loc.* istorum multi de praesistentia, quantum ad destinationem sive decretum Dei explicant, eo sensu, quo dicitur *Agnus occisus ab origine mundi*: Quam vero egregie *Socinianis*, qui ex illorum visceribus nati, iisdemque principiis enutriti, utraque arrideat expositio, nemo ignorat. Et quis hanc ex illis summi momenti contentionem, a qua tot animarum dependet aeterna salus, ullo aevo decidet? quis verum *S. Script.* sensum dijudicabit? An ipsa *Scriptura*? ad quam unam & solam, ceu fidei judicem omnes simul ad hunc diem provocant, & major tamen quotidie gliscit discordia, in fide scopsis, atque irreligio. Ubi nunc sunt conspicui illi, tamque splendidi radii, quibus *Scripturae* sensus statim effulgeat, nemo coecutiatur?

Forſan controversiarum judex *Spiritus privatus* erit? sed quis hunc non rideat ceu certam & publicam interpretandi normam assignari, qui privatus, est, occultus, incertus, varius, & revera contrarius, apertusque ad fanaticismum campus? Alias in politica societate *Leges* publicas ad privatum rapere arbitratum, nefas habetur, ne rerum civilium in regno miserrima confusio ac perturbatio oriatur, & in *Lege Christiana* controversiarum fidei judex erit *Spiritus privatus*? quam haec insulsa & absurda? *J. Gerhardus Loc. Theol. Tom. I. edit. Tub. pag. 11.* accersit simul interna *κρίσις* & ipsius *Spiritus S.* testimonium; sed illo perspicacior *D. Michaelis* in *compendio Theol. dogmat. pag. 15.* hoc *ineffabile testimonium* ingenue diffitetur.

Lis forte dirimenda est ex diligenti collatione cum locis

eis aliis, ex criticis historiae & linguarum adminiculis, usu philosophiae; at vero in his se excellere, confidere. Vimque collocare omnem, universi jactant. An unquam Protestantes revincere poterunt Socinianos, & qua ratione hi Christiana quaedam dogmata, quae nobiscum credunt, valebunt asserere contra illos, qui ea impugnant? Adeo verum est, excussa Ecclesiae auctoritate nihil amplius constans, nihil certum in religione superstes esse, sed omnia ad cujusvis arbitrium & sentiendi libidinem fluctuare, quod quidem luctuosum degeneris aevi hujus fatum est, non sine scandalo Judaeorum, Turcarum & Gentilium.

II. DIVINITAS JESU CHRISTI.

Matth. 26, 63. Princeps sacerdotum ait illi: Adjuro te per Deum viventem, ut dicas nobis, an tu sis Christus Filius Dei! dicit illi Jesus: Tu dixisti. conf. Marc. 14, 61. Antith. Babrdtii p. 25.

REFLEX. Haec veritas ex *vetere* jam *Test. e. g. Isa. 55, 4, Jer. 33, 16., Psalm. 2.* probatur; cum vero Sociniani & Arminiani S. paginas illas flocciendant, ex *Novo Test.*, quod ceu fidei, morumque normam adhuc videntur respicere, etsi has SS. literas, simulque mysteria omnia sola ratione dimetiantur, proferimus fundamenta. *Deum Dominum nostrum Jesum Christum his modis novimus, nomine, nativitate, natura, potestate, professione. S. Hil. lib. 7. de Trinitate: edit. Basil. pag. 83.* Scil. ex voce Patris in baptismo, SS. Petri & Thomae confessione, peccatorum remissione, ac intima cordium perscrutatione, plurimis miraculis hunc in finem patratis. *Cit. supra loco* Princeps Sacerdotum Dei veri nomine & auctoritate, cujus erat minister, praecepit, ut Jesus veritatem, cujus ipse testis foret ac iudex, coram toto Synedrio proferret: an Messias, & *Filius Dei*, non *adoptione* tantum, ut viri justii, sed *natura* esset; ita Caiphas P. vestimenta sua discindens intellexit, eo tendebat haec adjuratio, ut Christum blasphemiae reum condemnaret, si Filium Dei se esse assereret: ita Jesum sperabat responsurum, si, cum prius ad omnia taceret, divini nominis premeretur religione.

Hoc mysterium clarissime patescit ex *Joann. 1.* ac circumstantiis, quibus commotus ille dilectus Christi discipulus

pulus Evangelium suum conscripsit. Cum enim *Carpocras, Cerinthus, Ebion* &c. contra Divinitatem Verbi pestiferos errores in vulgus spargerent, juxta *Iren., Epiph., Hilar., Hieron.*, S. Joannes, ut hos convelleret haeresiarchas, aeternam Christi generationem ostendit: *Julianus Apostata* ipse S. Joannem de illa sermonem instituisse fatetur, etsi Evangelistas reliquos Christi Divinitatem ignorasse, pessime concludat, in quo a *S. Cyrillo* refutatur: apud *Cyrill. lib. 6 c. Julian.* ---- *Joann. 10.* ubi Jesus dicit: *Ego & Pater unum sumus: Filius Dei sum: Pater in me est, & ego in Patre* amplius hoc capitale dogma confirmatur, neque v. 34. enervatur; nam Christus ibidem a *minori*, quod ajunt ad *majus* concludit: Si homines, quibus olim Deus locutus, qui imperandi vel judicandi munere refulgent, in Script. *Dii* appellantur conf. *Psal. 82, 7.* quanto magis *Jesus C.* absque ulla blasphemiae nota? ita hoc testimonium praesentes Judaei intellexerunt, & certe lapides contra Socinianos clamant. --- *Joann. 17, 3.* Christus a verae Deitatis communiione haud excluditur; nam cum ibidem falsi nominis Dii, quos coeca introduxerat gentilitas, eliminantur, verborum hic ordo ponendus est: *Haec est vita aeterna, ut cognoscant te, & quem misisti Jesum Christum, solum verum Deum.* Hoc de loco iterum explicitae fidei in *Jesum C.* Deum verum, hominemque verum, hominum Mediatorem ad salutem necessitas invicte comprobatur. Gentes nec Deum, nec Christum, & Judaei Deum, non Christum noverant, & hac utrosque cognitione donaturus Christus advenit: vel ipsa Socinianorum, praecipue ex illorum grege *Smalcii* verba id testantur, licet illa contradictionibus, quae apertae falsitatis, inconstantis sensus, ingenique notae sunt, implexa.

Citra controversiam *magnum est pietatis mysterium, Deus manifestatus in carne:* quis igitur ferat *Bahrtdii* dicta pag. 25. Sociniani superbum ac procax Theistarum genus, qui humana ratione tam fallaci, tam coeca sacram hanc obscuritatem audent rimari & discutere, vel Sacramentum captu suo longe superius credere recusant, divinis oraculis obstrepunt, & Christianam fidem, rejectis quaestionibus, ut vocant *theoreticis, practicis* duntaxat sta.

stare & conservari, & ad consequendam salutem *divinarum mandatorum observationem Matth. 9, 17.* sufficere putant. Egregia enimvero & lepida rationum fundamenta! sed etiam *sine fide impossibile est placere Deo: credere oportet accedentem ad Deum, quia est: qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit; qui non crediderit, condemnabitur..* Quinimo veritates *præcticas & mandatorum observationem a theoreticis, & mysteriorum fide* sæpiissime consequi, nemo non cernit: Quid enim? an versari in mera, otiosaque speculatione dici potest nostra in SS. Triados mysterium fides, ex qua gravissimum de Christi Divinitate dogma pendet, quod profecto non in fide sola, firmoque tantum assensu, non in sterili contemplatione positum est, sed etiam ad morum formam pertinet; nam si Christus, ut aperte SS. Literæ tradunt, verus Deus est, summae impietatis rei sunt *Sociniani*: si non sit, *Orthodoxi* idololatriæ revincuntur, qui *Jesum C.* ceu *Jehova* agnoscunt & adorant. Annon ingens hæc quaestio, ex cujus decisione vel irreligio, vel idololatria subnascitur, ad mandatorum observantiam spectat? Quid in moribus capitale, quid magis præcipuum, quid acrius severiusque præcepta vetant, quam impietatem & idolomaniam? Altius sane nobis insculptum est SS. *Trinitatis* mysterium, in cujus fide baptizati sumus, cui nomen dedimus, & obsequia spondimus nostra. Illud singulare Christianæ religionis fundamentum est, quo stante illa consistit, quo subverso pariter illa labefactatur & corrui, quodque a nemine, qui salutem æternam anhelat, ignorari debet: ex illo ceu fonte omnia salutis nostræ profluunt subsidia, Verbi Incarnatio, Christi satisfactio, Missio Spiritus S., Sacramentorum institutio vis & efficacia: de hoc mysterio egregie scribit, illudque ostendit ex ipsis Mahumetanorum libris Cl. *Guadagnolo in Apol. ad Ahmed Persam Asphabensem.*

III. UNUS MEDIATOR DEI ET HOMINUM HOMO CHRISTUS JESUS.

Act. 4, 12. Non est aliud nomen sub coelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri conf. cum Joann. 14, 6. Rom. 5.

REFLEX. Christianam religionem in odium contemp-
tumque adducturi, salutem sine *Jesu C.* fide obtineri posse,
contendant. Eum in finem gentilium sopherum vitam,
accusatis multorum Christianorum moribus, ad astra tol-
lunt. Paganos, Christianorum persecutores, autochiros,
idololatrias, libidinosos, simulatores &c. Coelicolum in-
ferunt coetibus: Inter corruptissimos non nihil meliores
Socratem, Platonem, Senecam, Trismegistum Christianis
heroibus longe anteferunt. Hi quidem cum cognovissent
Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt,
sed evanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est in-
sipiens cor eorum, dicentes enim se esse sapientes, stulti facti
sunt. --- Per solam igitur cognitionem naturalem potuit
sapiens, rudis, Scythia, barbarus ex ipso aspectu eorum, quae
oculis subjecta sunt, pulchritudinem edoctus ad Deum con-
scendere S. Chryf. in loc. cit. S. Pauli, alit sine divina fide
& supernaturalium veritatum doctrina revelata nemo ho-
minum veram justitiam & salutem aeternam potest con-
sequi: Illos esse *inexcusabiles* ex Script. & SS. PP. elucet,
quorum aliquos, dum benignius de gentilium salute cen-
suerunt, mitiorem in partem oportet explicare. — *Chri-*
stus J. Joann. 10. & 14. est via & ostium, qui per fidem in
ipsum ceu *Mediatorem* in ovile Dei, seu Ecclesiam ingres-
sus fuerit, tutus erit a lupi infernalis incurfibus, sicut ovis
intra caulas secura degit. Antithes. *Bahrtdii* pag. 26. est:
Hanc fidei necessitatem ad Nonchristianos extendere, esse
irrationabile, inhumanum, & Scripturis adversum.

IV. SATISFACTIO JESU CHRISTI.

I. *Tim. 2, 6. Jesus Christus dedit redemptionem semet-*
ipsum pro omnibus conf. Tit. 2, 14., Ephes. 1, 7.

REFLEX. Errorum peffimus est, quo merita *Jesu*
Christi, oblatam pro nobis Crucis sacrificio satisfactio-
nem, & ejusdem in locum nostrum substitutionem, ac pre-
tium pro delictis nostris persolutionem elevant, ac funditus
vellent subvertere. Fucum impiis placitis suis inducunt,
& incautos fallunt, dum *Jesum* Servatorem quidem vo-
cant, bono nostro mortuum; at Servatorem consilio tan-
tum & exemplo, non merito, non opere & efficacia. In-
victa Scripturarum testimonia proterve ad sensum impro-
prium avocant, cum tanta mysteria humanae rationis sa-

perent decempedam. *Evangelicus Prophet* a toto *Cap. 53.* Christi passiones describens, hanc veritatem demonstrat. Contra recentiores Apellas ipsi Sociniani non diffitentur cit. loc. *Christum non Isaiam* designari. Certe *H. Grotius in Annot. in hunc loc.* Christianae fidei non consultum iult, dum Judaeis plus aequo indulgens, verba ex literae sensu ad Prophetam inflecti posse largitur: *Servetus* autem ea ad *Cyrum* inepte detorserat. Hac in Prophetia non nisi coecus non videt, quod proprie & vere pro peccatis nostris, pro quibus se vadem praestitit, Christus vulneratus sit, attritus, & morti traditus, id quod Evangelistarum omnium effata corroborant. Antilogia *Isa.* inter & *Matth. 8, 16. 17.* quam inextricabilem opinantur, conciliare, parum operosum est. *Antith. Babrdtii pag. 24.* haec est: *Das aber Gott blos um eines Menschenopfers willen mir meine Sünden vergebe, und um einer fremden Tugend willen die Flecken der meinigen übersehe, das ist wider meine Vernunft und habe ich auch nie etwas davon in H. Schrift gefunden.*

V. PERSONA ET DIVINITAS SPIRITUS SANCTI.

Joann. 16, 13. *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Conf. cum Joann. 14. 16. Matth. ult. Act. 5, 3. Babrdtii Antith. pag. 24.*

REFLEX. Si Spiritus S. nihil aliud est, ut volunt *Pneumatomachi*, nisi Deus dona sua impertiens, aut ipsa impertita dona; quomodo verba illa Christus potuisset eloqui? An Deus Pater a se non loqueretur? An de coelestibus illius donis dici potest, quod non loquantur a semetipsis, sed tantum quaecunque audierint? Respondent more suo, *metaphoram hyperbolicam* adesse, qua personales actiones rebus tribuantur; verum sic totum pene Evangelium continua erit locutio impropria & translata, nam ubique Spiritui S. actiones *personae* dantur: dicitur in Mariam super-venturus: de illo esse, quod de Maria est: descendisse corporali specie super Jesum & in Apostolos: alius Paraclytus, Spiritus Deus, dividens singulis, prout vult. --- *Cit. loc.* subditur: *Non enim loquetur a semetipso, sed quaecunque audiet, loquetur.* Hic Salvator significat, quod Spiritus S. nihil docturus sit extra vel contra ea, quae ipse docuit. Et sicut Dominus dicit: *quaecunque audivi a Patre meo,*

loquor, ita de Spiritu S. pronuntiat, qui cum a Deo procedat, ea tantum loquitur, quae in Deo sunt, quae illi non possunt esse ignota. *V. 14.* dicit Jesus: *Ille me glorificabit, quia de meo accipiet & annuntiabit vobis v. 15.* omnia quaecunque habet Pater, mea sunt, ubi ostendit & Patris & suum esse Spiritum. Quis enim ait Paulus *I. Cor. 2, 11.* hominum scit, quae sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? ita & quae Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei: quo certe ratiocinio & comparatione Apostolus non fuisset usus, si Spiritus S. nihil nisi afflatus esset, sive donum in mente Prophetarum & Apostolorum residens.

I. Cor. 2, 10. dicitur *scrutari omnia, etiam profunda Dei & Rom. 8, 26.* *postulare pro nobis gemitibus inenarrabilibus*; sed utrumque nihil Deitati derogat; nam primum non inquisitionem eorum denotat, quae occulta sunt ac ignota, sed verbum usurpatur, prout significat, perfecte nosse, haud obscure; sic Deus, cui cordium nostrorum arcana omnino explorata sunt, *renes & corda nostra scrutari* dicitur *Conf. Jerem. 30.* --- Secundum non innuit, *gemitum & orationem* Spiritui S. convenire, sed quod gratia sua, & efficaci in nos charitatis operatione, quam in cordibus nostris diffundit, nos doceat bene ac rite orare ac gemere. Non nisi mucidos errores *Macedonianorum* hic suscitaverunt Sociniani, pridem a PP. explosos; quorum auctor *Macedonius* per *Constantium* in Sedem Constantinop. intrusus, Paulo legitimo Epopo in exilium relegato, & caesis vel oppressis supra tribus hominum millibus, quem tamen haeresiarcham idem Imperator, cognita hominis petulantia, iterum a folio Pont. deturbavit. Et sicut veteres haeretici, qui bellum Spiritus S. Divinitati intulere, inconstantissime locuti sunt, ita quoque Sociniani, ut patet ex *Catech. Racoviensi edit. Lips.* Hic Spiritus S. nihil aliud illis est, nisi Dei energia & efficacia ab ipso indistincta: illic persona, vel aliquod donum a Deo distinctum est, attamen creatum.

VI. PECCATUM ORIGINALE.

Rom. 5, 12. 19. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransit, in quo omnes peccaverunt &c. Conf. Eph. 2, 3., Job. 14, 4. & Psalm. Hebr. 51, 7.*

RE.

REFLEX. Non imitatione, sed propagatione in homines omnes illam peccati labem transfundi, S. Apostoli Christum inter & Adamum analogia comprobatur: Scilicet ut per Adam inventum est peccatum, ita per Christum collata est justitia, certe non sola imitatione; nam qui Servatorem praecessere veteres Sancti, illum nequierunt imitari, gratiam tamen & justitiam illi ferunt acceptam: Nec in parvulis peccatum hoc imitatione habuit aditum, qui tamen natura filii irae, sicut & caeteri, renasci debent ex aqua & Spiritu Sancto, ut intrent in regnum coelorum. Videmus iterum nonnisi priscam haeresin Carpocratianorum, Pelagianorum, Armenorum, Albigenfium, Anabaptistarum, Sacramentariorum a Zwinglio & Oecolampadio paedobaptismum rejicientibus &c. resuscitatam, a Socinianis propugnari, ut systema tolerantiae commendent ac promoveant, cui Judaeus, Turca & Paganus facile subscribent, sicut in cit. Catech. Racoviensi proponitur. Primum parentem generis humani caput in peccatum esse lapsum, multi probant ex gravi juro, quod est super filios Adam, a die exitus de ventre matris eorum, quod injustum esset, si noxae nullius rei forent infantes. Quod argumentum ethnicos ipsos permovit, ut, quamvis primigeniam illam labem ignorarint, ex humanae tamen naturae tam saevae conditione judicarent, infontem non esse hominem, tot objectum aerumnis. Hinc admissa in superiore vita quadam commenti sunt peccata ab eo, qui ab ipsis vitae initiis laboribus molestiisque addictus videretur. S. Aug. Lib. 4. contra Julian. C. 15. edit. Antv. Tom. 7. pag. 415. hos veteres ethnicorum Vates & Philosophos, qui errores miserasque humanae vitae ad aequum Dei judicium retulerunt, ad Christianum dogma accedere, ait, profertque insigne ex Ciceronis Hortensio testimonium. . . ubi subjicitur, verum esse illud Aristotelis dictum, sic animos nostros corporibus esse conjunctos, ut a praedonibus Etruscis corpora viva cum mortuis conjungebantur: & c. 12. cum Ciceronem induxisset dicentem: Non ut a matre, sed ut a noverca natura hominem esse editum in vitam, corpore nudo, fragili & infirmo, animo anxio ad molestias, humili ad timores, molli ad labores, prono ad libidines, in quo tamen in-

es-

esset tanquam obrutus quidam divinus ignis ingenii & mentis. Subjungit S. D.: Non hic Auctor iste male viventium moribus dixit effectum, sed naturam potius accusavit. Rem vidit, causam nescivit. Latebat enim eum, cur esset grave jugum super filios Adam, a die exitu de ventre matris eorum, usque in diem sepulturae in matrem omnium, quia Sacris Literis non eruditus ignorabat Originale peccatum.

VII. POENARUM APUD INFEROS AETERNITAS.

Marci 9, 43. Vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur conf. Matth. 25, 41., Marc. 3, 29.

REFLEX. Futuro post hanc vitam saeculo omnem suppliciorum vim Deus servavit, quorum frequentem mentionem SS. Literae faciunt, certa & simplici oratione tradentes, aeterna illa fore supplicia. *Origenistarum* priscus fuerat error ex *Platonis* haustus, ut scribit S. Aug. Lib. 21. de Civit. Dei c. 13. improbos aliquando liberatum iri, etsi *Plato* in fine *Gorgiae* & *Virgil.* etiam in 6. *Aeneidum* sceleratoribus sempiternas infligi poenas pronuntiant. Hos *Sociniani* errores suscitant, & velut antiquis ollis novas affingere ansas laborant, quos pridem ex SS. Lit. SS. PP. & Concilia profligarunt. Illa verba Salvatoris ex *Isa.* ultimo desumpta & *Daniel.* 12, 2. ad literam, ut decet, expensa, poenas aeternum duraturas significant, quas inter & pudor est non ultimus sceleratorum carnifex: summam denotant rerum omnium egestatem, graves corporis dolores, ingentemque animi angorem, desperationem in iram adversus Deum, rabiemque versam, quem *dentium fremitum* SS. Literae vocare solent. Haec omnia inepta sua, e mentita & SS. Literis repugnante hermenia *Sociniani* usurpant: praecipue vocabl. **וְעוֹלָם** & **אֵשׁ** pro diuturna tantum duratione capiunt; verum ut gloria, felicitas & sanctorum requies erit sempiterna, sic pariter erit impiorum cruciatus conf. S. Greg. M. Lib. 34. Moral. c. 16. ubi S. D. feliciter explodit ex ipsis verbis Salvatoris vetera, novaque sophismata & technas illorum, qui habere finem divina super se iudicia suspicantur, ac perennia supplicia divinae repugnare clementiae volunt. In idem recidit opinio *Babrdtii* pag. 27. ex veterum hae-

seriarcharum lacunis hausta: totus in divina ad benefaciendum ac praemiandum propensione versatur: Sed enim dignitas infinita Dei offensa, ex qua malitia peccati infinita repetitur, & voluntas peccatoris, qui aeternum peccaret, si posset, infert supplicii aeternitatem.

VIII. ANGELI.

Matth. 18, 10. Angeli eorum in coelis semper vident faciem Patris mei. Antith. Babrdtii pag. 27.

REFLEX. Angelos existere verae religionis cultores, & non pauci inter Philosophos gentiles confessi sunt. Notus est ille celebris *Socratis Genius*, quisquis demum fuerit, quo in consiliis capiendis, ac futuris praevidendis usus fuisse dicitur. Praeter *V. T.* documenta e.g. *Gen. 16. & 21. 19. 22.* hanc veritatem *N. T.* saepissime confirmat, ubi ex obvio sensu nonnisi substantiae spirituales ab homine diversae & excellentioris dignitatis possunt intelligi, quam notionem nulla machinarum vis ad solas *inspiraciones* deprimet: cum Angelorum apparitiones, beneficia ministerio illorum collata, poenae impiis inflictae tam accurate describantur, ut nonnisi delirus somniator ea de *imaginationibus ac phantasmatis* explicet.

Ex immensa illa Angelorum, quos Deus creavit, multisque ac magnis gratiarum donis exornavit, multitudine, aliquos contra Deum Creatorem infanda rebellione peccasse, compertum habetur *Matth. 25, 41. Joann. 8, 44. 2. Pet. 2, 4. Apoc. 12, 7. & seq.* Hos nedum corporibus, sed praecipue etiam animabus nostris perpetuo insidiari, aperta *S. Script.* doctrina est: certe risu, vel commiseratione potius digni sunt temporum nostrorum falsi sapientes & fortes spiritus, qui timorem infestantium Daemonum nobis eximere, tam sedulo nituntur, tum ex daemonologia ethnicorum, tam sublimi scientia sua philosophica illorum existentiam aut operationes pernegando, cum tamen iisdem sola Jesu Christi servatoris gratia nos liberet.

O. A. M. D. G.



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
 Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20

TIFFEN® Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
Light Blue	Light Cyan	Light Green	Light Yellow	Light Red	Light Magenta	White	Light Skin	Light Gray
Dark Blue	Dark Cyan	Dark Green	Dark Yellow	Dark Red	Dark Magenta	White	Dark Skin	Dark Gray



- A** 1 **R**
- 2 **G**
- 3 **B**
- 4
- 5
- 6
- M** 8 **W**
- 9 **G**
- 10
- 11 **K**
- 12
- 13
- 14 **C**
- 15 **Y**
- B** 17 **M**
- 18
- 19

TIFFEN® Gray Scale

© The Tiffen Company, 2007